



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 99. Hic Cardinalis suum erga D. Ignatium odium in amicitiam
commutans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XCIX.

Hic Cardinalis suum erga D. Ignatium odium in amicitiam commutans.

Præcipue hic idem Cardinalis suam beneficentiam largiter in D. Ignatii Societatem extendebat, eandemque singulari amore semper prosequebatur, postquam eidem conciliatus fuerat; prius enim sese huic instituto adeo vehementer opponebat, ut etiam, cum hosce Patres frequentius ad Quirini Garzonii Nobilis Romani, ac præcipui eorum Fau-
toris ædes divertere intelligeret, eun-
dem gravibus verbis objurgaret, & o-
mnem ei necessitudinem cum D. Ignatio interdiceret: cum autem Garzonius ei-
dem reposuisset, consulto se jam dudum in Patrum facta, dictaque omnia in-
quisivisse, neque tamen aliquid aliquan-
do potuisse deprehendere, quod non magnopere cum Christiana pietate, mo-
ribusque congrueret, mox Cardinalis ex-
clamans, *circumventus es, inquit, Qui-
rine, horum præstigiis, nec mirum;
Lupum enim aperte invadentem nemo
non agnoscit, & fugit; ast ovium specie
blandientem quis observet, & caveat?
ignoras tu videlicet, quæ de istorum ho-
minum flagitiis ego ipse comperi: non*

Xx 5

sunt

Sæcul. XVI sunt isti profecto, quales tibi cogitatione
A.C. 1553 depingis.

Perturbavit haud parum Quirini animum hæc tanti Cardinalis oratio, qua propter e vestigio Ignatium convenit eidemque omnem Cardinalis sermonem, ac sententiam exposuit: ast Vir sanctus hujus Cardinalis studium deprædicans ajebat, quod Cardinalis haud immetrito illos, de quibus sinistram haberet, opinionem, evitari præcipiat, mox vero Quirino hæc respondit: „Bono animo „est Quirine; brevi exuet hunc Cardi- „nalis errorem, quem ei seu malevolo- „rum calumnia injecit, seu rerum at- „tulit ignorantia, totamque iste animi „opinionem temere suscepit, pari stu- „dio, ac benevolentia commutabit; nos „autem interim rem Deo precibus com- „mittimus. Tu interim mihi præsto „sis, ut Cardinalem adire, eique collo- „qui valeam. „ Ergo Garzonius Cardi- nalem, ut Ignatium accerseret, obsecrat, idque, ægre licet, obtinet, unde Ignatius ad ejus cubile admissus non modo sinistram de suis opinionem ademit, sed etiam illius amicitiam sibi devo- vens recessit. Obiit Cardinalis hoc anno, ut refert Ciaconius, die deci- ma Decembris.

§. C.